

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Exordium

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

## DOMINICA IV. POST TRINITAT.

*Evangelium Luc. 6. v. 36 -- 42.*

## EXORDIUM.

**C**Um Templum Hierosolymitanum aliquamdiu in manu hostium fuisset, cessante in illo vero Dei cultu, sanctificatio deserta erat, & altare prophanatum, & portæ exusta, & in atriiis virgulta nata, sicut in saltu, vel in montibus. Propterea Judas Macchabeus, in fugam coniectis hostibus, ordinavit, ut sanctuarium emundaretur, contaminatio tolleretur, & altare, quod ab hostibus prophanatum erat, destrueretur, ejusque loco novum ædificaretur. Deinde obtulerunt sacrificium, secundum legem, in canticis, & cytharis, & cingriis, & in cymbalis, & cecidit omnis populus in faciem, & adoraverunt & benedixerunt in cælum eum, qui prosperavit eis, 1. Macc. 4. 38.

Nos Dilecti! principio conditi eramus, ut Templum Dei vivi essemus, 1. Corinth. 3. v. 16. Verum per tristem Protoplastorum lapsum in Dæmonis infernalis potestatem devenimus, is templum cordis nostri occupavit adeo devastatum, ut loco fructuum Spiritus, nil nisi spinæ & tribuli enascantur, quales sunt: homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemias, aliaque nefanda, quæ coinquinant hominem, Matth. 15. v. 19. Iccirco Christus venit, tanquam Dominus templi, Mal. 3. v. 1. & reformationem instituit, dum nobis voluntatem Patris cælestis manifestavit, ut sciamus, quid facere, quidque omittere nos oporteat. Deum enim nemo vidit unquam: Unigenitus Filius

qui est in sinu Patris, ipse enarravit, Joh. 1. v. 18.

Quando ad hujus voluntatem vitam nostram componimus, tunc debitum nostrum implemus, offerentes Deo sacrificium in justitiâ: quod placebit Domino, sicut in diebus antiquis, & sicut in annis prioribus, Mal. 3. v. 4. & hoc quidem propter Christum, in quo nos gratificavit Pater, Eph. 1. v. 6.

Præclaram hujus rei ideam in prælectâ Pericope habemus, ubi Dominus Legislatoris officio fungitur, & non modò discipulis & Apostolis suis: sed nobis quoque omnibus Regulas certas præscribit, quomodo nos erga proximum gerere debeamus, nisi Spiritus sancti templum destruere atque disperdere velimus: non enim habitat in anima malevola, nec in corpore peccatis subdito, Sap. 1. v. 4. sed ubi templum suum habet, ibi & fructus ejus inveniuntur, descripti, Galat. 5. v. 22.

Nos videbimus pro instituti ratione

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

## Exegetis.

**A**Nte octiduum audivimus de ove perditâ, quanta cura à Pastore restituta fuerit, nempe sic, ut nonaginta novem

uu in